

Sub Alfridaria Saturni & Martis, erit in malo statu, euenient ei grauamina, forte cadet à summo domus uel bestia, & propter hoc habebit tristitiam, anxietatem, & iurgia cum uxore sua, uel alijs mulieribus, male ei uolent, ac ipsum uincunt homines, & conculcabunt ipsum sui hostes, infirmabitur eius uxor infirmitate forti, uel morietur.

Sub Alfridaria Saturni & Solis, augebitur natus in precio & ualore, habebit dignitatem aliquam in iudicando homines, lætabitur & gaudebit de domo, societate, & filijs suis, faciet itinera, infirmitatem habebit in capite de magno tumore, dolerebit ex oculis & uisu, causam habebit maioribus eo, & ipse uictor erit. Et si natiuitas fuerit nocturna, accident ei multa ex significationibus istis, & statibus quos diximus, secundum quod conuenit ætati suæ.

Sub Alfridaria Saturni & Veneris, dicentur de eo mendacia, proferentur testimonia falsa super eum, habebit longas & fortes causas, & euadet ab eis, lætabitur de morte inimicorum suorum, ac malo ac impedimento quod eis eueniet, accident ei magnæ infirmitates in uentre, uel in loco abscondito sui corporis, & sanabitur de eis, morietur eius uxor, aut accidet ei magnum malum uel impedimentum, & forte habebit filium in hac partitione, & si filios habuerit, infirmabitur aliquis. Et si natiuitas fuerit nocturna, accidet ei ex rebus & significationibus istis, quantum fuerit conueniens ætati suæ, in qua fuerit.

Sub Alfridaria Saturni & Mercurij, habebit debilitatem in omni suo negotio, ibit itinera in quibus habebit grauitatem & damnum, infirmabitur eius uxor, & habebit de hac grauamina, aut ratione mulierum, morietur aliquis ex propinquis eius, crescet fortuna ipsius, sed aliquid perdet ex ea, gaudebit de fratribus et amicis, de filijs bonum habebit, & societate sua, & de seruis, uersabitur in societate & rebus diuersis.

In Alfridaria Saturni & Lunæ, habebit tristitias, infirmabitur ipse, & sui masculi filij, & eorum aliquis morietur, erit in statu mediocri inter bonum & malum, inter lucrum & amissionem, ibit itinera longa, in quibus opes lucrabitur, & forte in hac partitione, erit in loco extraneo, uel accidet ei hoc in fine huius partitionis, & quando de hac partitione exibit, aggregabit magnas diuitias, & forte copulabitur alteri mulieri.

### Alfridaria Iouis.



In hac transferetur natus de infimo statu ad bonum, exibit de omni grauamine ad omne bonum & gaudium, ascendent fortunæ & opes eius, nominabitur inter reges, dicetur de eo bonum, habebit dignitatem honorificam, & magnam. Et si Iupiter fuerit in radice, in termino suo, uel in termino Veneris, aut in aliquo signo triplicitatis sue, que sunt Aries, Leo, Sagittarius, tunc significat melius in significationibus suis, & significabit maius bonum & fortunam. Si natus fuerit altæ progeniei, forte rex erit, aut habebit potestatem in ciuitatibus & terris, ac multos seruos, & seruas habebit, uel copulabitur cum muliere nobili, præsentabunt ei reges xenia & diuitias, mulieres & bestias, habebit lucrum de redditibus, & alijs rebus, faciet thesauros, bonum, & eleëmofynas, faciet facta nobilia. Et si cum hoc fuerit Iupiter in exaltatione sua, erunt hæ significationes firmiores, & maior erit fortuna.

Sub Alfridaria Iouis & Martis, natus erit tristis, seruiet Regi in rebus de quibus timebunt homines, tamen propter hoc eueniunt ipsi grauamina magna, aut metus, & labores pro diuitijs suis, ibit itinera longa, habebit angustiam ratio-

ne